

Author(s) *Forster, Geo. Johann Georg Adam*Title *Plantae Atlanticae ex insulis Madeira Stⁱ Jacobi Adscensionis
Stae. Helenae et Fayal reportatae.* [sic]Abbreviated reference *Comment. Soc. Reg. Sci. Gott. 9**Classes Physicæ: 46-74. 1789.*

MLP 460 Commentat. Soc. Regiae Sci. Gott. 9: Cl. Phys. 46-74. 1789

Notes

Reprint: MBL 16093

46

GEO. FORSTER

GEO. FORSTER

SOC. REG. SCIENT. GÖTTINGENS. SODALIS.

PLANTAE ATLANTICAE

EX INSVLIS MADEIRA STⁱ IACOBI ADSCENSIONIS

STAE HELENAE ET FAYAL REPORTATAE.

Quum iam totus in eo sim, vt ad nouum iter me accingam, id mihi primis in curis video habendum esse, vt prioris peripli sarcinas colligam et de adnotatiunculis meis ab interitu seruandis prospiciam. Quarum merita, sentio quidem quam sint exigua, vel maxime in eo consistunt, quod cum exteris regiones adire iis, qui naturam inuestigandi amore flagrant, rarissime obtingat, ad cognitionem rerum alienigenarum his tam minimis, tam fere nullis, aliquid saltem contulisse videar.

Genera noua plantarum, anno 1775, mox post reditum ex itinere iunctis cum patre viribus exaravi. Artocarpi deinde historia, anno 1784 germanice prodiit, quam anno 1786 reliquarum stirpium edulium in maris australis insulis vigentium descriptiones sequutae sunt. Eodem ferme tempore prodromum specierum omnium in iisdem regionibus a me collectarum publici iuris feci. Plantarum quarundam Magellanicarum descriptiones cum Societate vestra, Sodales coniunctissimi honoratissimique, qua estis humanitate et in me beneuolentia, non ita pridem communicandi mihi copiam fecistis. Vltimo loco superstites sunt obseruationes botanicae in oceani atlantici insulis conscriptae. Eodem enim mense Iulio anni 1772, quo ex Anglia profecti sumus, *Madeiram* appulimus, ibidem per triduum commorati. Deinde mense Augusto binos dies ad portum, *Praya* dictum, in *Stⁱ Jacobi* insula, promontorio viridi obiecta transegitur. Reduci ex capite bonae spei, anno 1775 Maio mense, *Stae Helenae* insulam per aliquot dies inuisere, tum quoque in desertissimam vulcanisque ignibus euerfam insulam *Adscensionis* ascendere.